

Ich muss endigen, denn die Stunde nahet sich, wo ich in die kaiserliche Capelle gegen muss.

Ich grüsse Sie, meine liebe Schwester und lieber Schwager, meine Familie, und alle meine Freunde viele millionenmal.

Mr. Happey wird Ihnen mein Portrait besorgen. Erinnern Sie sich gefälligst, so oft Sie es würdigen anzusehen, dass das Original ewig ist ganz Ihren aufrichtigen Sohn

Christian Urhahn.

(Fortsetzung folgt im nächsten Jahrgange.)

Die Consuetudines Schyrenses.

Mitgeteilt von P. Stephan Kainz, O. S. B. in Scheyern.

(Fortsetzung zu Heft III, 1904, S. 611—619.)

De cellerario monasterii.

Cellerarius monasterii, qualis esse debeat et quale sit eius officium, in carta et regula capitulo XXXI. plenius habetur. Praecipue tamen et ante omnia sollicitus esse debet circa victualia fratribus ministranda et alia necessaria pro conventu et fratrum vestiario debito tempore comparanda. Rationem distinctam et fidelem, sicut ceteri officiales, domino abbati aut fratribus, quibus ipse commiserit, de perceptis per eum et distributis omni anno facit ad minus semel aut quoties abbati placuerit. Ad loquendum de his, quae suum concernunt officium, licentiam cum officio suo accipit generalem. Ad manducandum insuper et bibendum, cum necessitas extra horam exposcit, licentiam accipiat saltem generalem ad tempus. Ad chorum, quando potest] t. 27. r [commode, veniat; ubi si tarde venerit, non obligatur stare ad mattam nec in refectorio tarde veniens se prosternit. Exemptus est ab officiis, quae in communi fratrum tabula distribuuntur. In refectorio, quando sibi vacat, comedat. Coquinam saepe visitet et eidem diligenter praesit, ut sciat, quid fratres habent aut quibus indigent et quomodo cibi eorum sint parati. Sitque providus in omnibus, ut absque murmuratione fratres serviant Deo. Fratribus reficientibus ipse semper in coquina usque ad plenam ferculorum ad refectorium ministrationem praesens assistat; et pisces per se ipsum distribuat provideatque diligenter, ut tunc a familia in coquina servetur disciplina nullusque extraneus praeter famulos necessarios tunc ibi manere aut manducare permittatur. Absente autem eo aut alii occupato famulus sibi deputatus aut alius frater, cui commissum fuerit, eius vices suppleat, ita ut coquina, dum conventus reficitur, numquam sine speciali custodia remaneat. Mixtum sicut servitor et lector capere potest. Provideat etiam specialiter, ne

servitor et lector mensae in necessariis in sua mensa defectum patiantur, sed dentur eis sicut reteris, vinum recens, cibaria calida et alia, ut conventui fuerint ministrata, ne iuste eos querulari contingat.

Egrediens monasterium priori se commedet, a quo ut moris est, orationem recipiat. Similiter revertens de via, quando commode potest, sicut ceteri orationem recepturus priori se repraesentet ac prostrationes ut ceteri de via revertentes faciat.

De cellerario vini.

Ad cavendum negligentias et dampna in officio sibi commisso deputetur, si necesse fuerit, aliquis frater, qui eo absente ad minus cuncta, quae eum respiciunt in monasterio gubernet et conscribat et fratribus necessaria ad conventum provideat; qui frater in commissione habeat cellare cum vino et cellerarius vini solet nominari.

De dispensatore conventus.

Dispensator fratrum, qui omnia victualia conventus sub cura sua habet, quaelibet necessaria a domino abbate vel cellerario petat, quae et diligenter conscribat ac de omnibus domino abbati, quotiens ei placuerit, rationem faciat fidelem.

De remanenciis ciborum.

Remanencias ciborum, ne vetustate corrumpantur, tempore debito per ministrum refectorii pauperibus faciat erogari; vinum, quod post mensas in picariis repperit, non fratribus secundo dandum, sed pro coquina conservet. Hyemali tempore vinum pro conventu calefieri procuret omnemque a fratribus occasionem murmurandi, in quantum in eo est, penitus auferat. Provideat diligenter, ut vasa et suppellectilia refectorii munda sint. Singulis quoque mensibus ad minus, si eadem omnia sana sint et in numero priori, conspiciat. Ad loquendum de his, quae suum officium concernunt, licentia speciali non indiget.]f. 27 v. [Ad manducandum vero et bibendum extra horam regularem, quando indiget, licentiam accipiat ut alii specialem.

De ministro refectorii.

Minister refectorii sub cura sua omnem suppellectilem eiusdemque iuvat dispensatorem in singulis, quibus eo indiget in officio suo. Septimanis singulis ad minus semel picaria et cantros bene lavet, quotidie autem post finem mensae aut collationis semper aqua mundet recenti. Eleemosinam det pauperibus de fratrum remanenciis iuxta domini abbatis dispositionem. Licentiam comedendi et bibendi, si indiget extra horam, sicut ceteri capiat in speciali. Neminem laicorum ipse vel dispensator ad loca conventualia intromittat absque prioris scitu et voluntate.

De fratre vestiario.

Ad fratrem vestiarium pertinet cura vestium conventus tam veterum quam novarum. Omnia, quae percipit ab abbate aut cellerario, similiter omnia nova, quae dat fratribus singulis, secundum regulam brevi conscribat. Pro comparandis pannis tam laneis quam lineis et pelliceis ac aliis pro fratrum usu in cellis necessariis abbatem et cellerarium tempore debito admoneat. Inventarium etiam habeat vestium pro via et aliorum, quae communiter in vestiario sub eius cura habentur. Intrare potest cellas fratrum ad conspiciendum, si munde servantur vestes et stramenta et in huiusmodi negligentes priori debet denunciare, antiqua et vetusta cum abbatis aut prioris scitu pauperibus et peregrinis dispensare. De his, quae suum officium concernunt, licentiam habet loquendi generalem. Certis diebus et horis dentur et postulentur ab eo necessaria, videlicet hora secunda post meridiem vel prout abbas ordinaverit. Quando frater aliquis vestem novam accipit, debet semper accipere benedictionem a priore. Incaustum, papirum, pennas et alia ad scribendum fratribus necessaria, calceos filtratos, pellicea et tecturas non necessarias tempore aestivo, ne a tineis in cellis corrumpantur, ferramenta et reliqua utensilia fratribus pro labore necessaria diligenter custodiat et conscribat atque conservet. Vestes et calciamenta disponi faciat sub forma una et regulari. Et propter disciplinas tunicae et pellicea sint ab ante usque ad umbilicum apertae. Vestes exteriores sub habitu immediate nodulos in manicis habere non debent. Absque eius scitu nullas fratrum vestes aut calciamenta specialia fieri sibi procuret nec in speciali lavari. Vestes in aestate omni mense semel laventur generaliter, in hyeme vero in duobus mensibus semel. Capitalia, mappulas et mitrellas infra quindenam dierum semel ad minus lavari procuret. De vestimentorum autem et stramentorum qualitate et numero in regula et carta plenius continetur etc.

Quali habitu fratres in quolibet loco utuntur.

Floccis singuli clerici professi induuntur ad missam principalem et ad horam canonicam immediate praecedentem; similiter ad vespervas et in visitatione infirmorum fratrum cum sacramento et circa eorundem sepulchra, in processionibus etiam consuetis et si forte contingat totam congregationem aliquam personam sollempnem suscipere, ut episcopum vel principem aut ordinis visitatores. Aliis temporibus et horis canonicis et ad mensam, similiter dum ad capitulum vocantur, simplici cuculla induuntur. Celebrantes vero missas et ibidem dyaconus et ad mensam ministrando ac in labore et sabbato pedes fratrum lavantes et in cella sedendo utuntur dumtaxat scapulari maiori, minori autem tantum in strato. Fratres conversi professi pallio ab ante

aperto et capuciato induuntur in choro, ad mensas sedentes et ad missas privatas servientes, alibi vero scapulari sicut clerici induuntur. Fratres vero novitii clericandi tempore probationis suae utuntur cuculla sine manicis, sed in lateribus sit aperta ac scapulari in extremitatibus rotundo, quali etiam laici probandi dumtaxat novitiatus induuntur. Habitus autem exterior pro via iuxta patrum traditionem regularem debet esse talis, ut per eum expressa distinctio habeatur religiosi nostri ordinis a saecularibus et ceterorum ordinum professis.

De fratre bibliothecario habetur supra capitulo de correctore sive emendatore lectoris mensae.

De infirmario et infirmis fratribus ac eorum disciplina

Infirmarius frater habeatur timens deum, diligens ac sollicitus, qui sibi commissa diligenter custodiat, lectulos, pannos et utensilia singula semper inibi permansura in brevi conscripta sibi fideli custodia retineat. Ad infirmariam nullus sine licentia vadat; qui autem infirmatur cum abbatis aut prioris licentia intret, inde non exiens nisi de licentia et iussu eorundem. Si indiget esu carniū, dentur sibi utiles pro viriū reparatione, hoc ipsum tamen fiat de licentia et commissione abbatis in speciali. Si decumbit aegrotus in lecto, legantur coram eo, si per se non potest orare, horae canonicae per aliquem fratrem et missa saltem diebus festivis. Ceteri vero debiles ibidem stantes possunt missas in capitulo celebrare aut ibidem audire vel communicare. Lumen apud aegrotos decumbentes tota nocte ardeat et prope eos dormiat frater vel alius famulus, ut eis in necessitate possit ministrare. Fratribus ad matutinum surgentibus infirmarius lumen infirmis, si non habent, portet ad orandum et, si quo eos indigere contingat, scire possit; qui et aliis horis per diem saepius eos studeat visitare, ne per necessariorum subtractionem occasio eis impatientiae ministretur. Infirmi et debiles, quantum debilitas eorum permittit, infra refectionem et alias silentium stricte observent. Ad ortum tempore aestivali ire possunt cum licentia causa recreationis. Qui vult infirmum causa consolationis visitare, licentiam accipiat a priore et non maneat ibi nimis diu nec occasione licentiae huiusmodi divinum officium negligat nec ibidem sine licentia comedat aut bibat. Hora tamen refectionis non detur cuiquam faciliter licentia] f. 28 v. [eos visitandi nec fiant ibi sine causa rationabili sessiones post completorium. Egrediens de infirmaria in capitulo pro culpis et negligentis suis se humiliet atque pro servitute sibi impensa gratitudinis vicem ostendat etc.

De eorum, qui sunt in minutione sanguinis, disciplina.

Qui sanguinis indigent minutione, oportuno tempore licentiam petant. Conceduntur autem minutiones generaliter in anno quater, scilicet circa festum apostolorum Philippi et Jacobi, Bartholomaei, Martini et Blasii. Provideatur ipsis de cibis et regularibus, delicatius tamen et per triduum extra refectorium, ubi ministranda sunt eis ad prandium fercula quinque, excepto primo die, et ad cenam serotinam quatuor, in quibus refectioibus silentium observandum est. Et si plures fuerint, frater aliquis per priorem deputatus legat eis per totum ad mensam, sine tamen accentu. Si vero duo aut tres solum, sibi ipsis sicut et alii in infirmaria stantes, quantum valitudo permittit, legant ad mensam interpolatim. Prima die minutionis et sequenti nocte immediate non obligantur minuti interesse horis neque matutinis. Altera die veniant ad primam atque reliquas horas et ad missam. Semper tamen ad aspersorium sumendum post completorium occurrant, et postea cum conventu ad cellas vadant. Secundo et tertio die hora prima ad infirmariam vel ad hortum causa colloqui et recreationis de licentia prioris convenire possunt et postea hora secunda, qui volunt ex eis, in infirmaria potum sumant. Prima die minutionis qui necessarii (?) sunt (?) ante minutionem ova sorbilia unum aut duo recipiant, aliis diebus ita opus divinum agatur, ut non graventur per nimiam moram ieiunandi, sed statim post sextam cibum simul percipiant. Verumtamen occasione minutionis ecclesiae ieiunia nullatenus frangant, sed unica contenti refectioe de cibariis competentibus absque ovis cum ceteris ieiunent. Egredientes de minutione post tertium diem in capitulo culpas dicant consuetas, de quibus supra patuit.

De balneis et rasura fratrum.

Balnearum usus extra monasterium nulli concedatur nisi iuxta periti phisici suasionem rationabilis et urgens causa id ipsum exposcat. Intus vero monasterium iuxta regulae permissionem necessitate cogente minime denegetur. Generaliter autem eis, qui indigent, extra adventum domini et quadragesimam singulis mensibus semel concedatur, si aliud nihil obstiterit. Fiunt autem balnea, dum conceduntur, cum omni disciplina et silentio, pudore ab omnibus bene custodito et nunquam inter personas saeculares, sed et fratribus junioribus iuxta regulae traditionem balneari rarius permittatur. Nemo insuper absque licentia speciali balneam intrare praesumat; nam et ad praesidentis pertinet arbitrium intrare volentes aliquando iuste cohibere, nolentes vero, ut intrent, persuadere. Rasura autem communiter in octo diebus semel habetur, nisi ex causa diutius proteletur, ubi etiam fratres silentium tam inter se quam cum rasore diligenter observent etc.

De magistro hospitem et ipsorum susceptione.] t. 29 r.]

Magister hospitem singula sibi commissa diligenter custodiat et conscribat. Hospes religiosus, dum denunciatus fuerit, ducatur per priorem ad orationem, ut supra de fratribus revertentibus de via, et deosculato altari ducitur ad capitulum et sedente priore cum eo legitur per unum de fratribus certus passus de capitulo regulae 53 de hospitibus suscipiendis et dicente priore: Sufficit, interrogetur hospes breviter de causa adventus sui, maxime si ignotus et de ignoto venerit monasterio. Si non habuerit litteras abbatis sui, caute agatur cum eo et emittatur. Ad celebrandum autem missas, si de irreformato fuerit monasterio, etiam si ad nos missus fuerit causa instructionis aut si expressum testimonium sui superioris non habuerit de officio suo et eius executione, non admittatur. Si autem, ut dictum est, causa informationis huc missus fuerit et est de loco irreformato, caute secum procedatur, antequam ad celebrandum permittatur, ne innodatus sit, sicut frequenter accidit, irregularitate. Si est hospes ignotus, observetur sollicite, ne circueat officina solus aut alia loca regularia. Quaeratur ab eo specialiter et ab initio susceptionis, si nuntia aut litteras habeat speciales ad aliquem fratrem et non permittantur, nisi sint noti, cum fratribus habere soli colloquia. Offeratur ei liber aliquis pro lectione ac usque ad diem tertium exhibeatur ei hospitalitas et primo die post mandatum fratrum cum eo poterit ad refectorium invitari.

De mandato hospitem et novitiorum.

Si debita hora supervenerit hospes, offeratur ei secundum regulam mandatum sive pedum lotio et fit hoc modo. Magister hospitem circa finem completorii disponit de aqua et pelvi in refectorio et ante finem trinae orationis hospes ducitur ad refectorium et locatur in scampno ante mensam abbatis et intrantes cuncti post completorium ad sonum campanellae circa stallum prioris inclinant reverenter hospiti stanti versus conventum, et sedentibus in scampnis ordinatis ante mensam abbas aut prior sedet cum hospite, cui per magistrum hospitem exutis calceamentis apportatur pelvis cum aqua praeparata. Et abbas, si praesens fuerit, cum priore aut prior cum suppriori sive seniore alio lavant primo quilibet unum pedem, deinde secundum ordinem bini et bini et breviter semper flexis genibus. Quo facto praesidens praecinctus lintheo flexis genibus ante hospitem tergit eius pedem dextrum, quem super genu suum tamdiu tenet, quousque ipse primum, deinde omnes secundum ordinem flexis genibus osculentur, quibus singulis hospes respondet Deo gratias. Et postquam omnes fuerint osculati, locat pedem illum tersum super calcem et amota pelvi per fratrem dispensatorem aut famulum refectorii sumit

pedem secundum, quem similiter tergit et praemisso signo crucis osculatus. Interim vero, dum se ille recalciat, deponit praesidens lintheum [f. 29 v.] et ipse ac cuncta congregatio flectunt genua in medio ante sedentem super scampno hospitem. Et dicit praesidens hunc versum: Suscepimus, Deus, misericordiam tuam. Chorus: In medio templi tui. Et adiungit Gloria patri. Sicut erat. Deinde praesidens Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison; Pater noster secrete. Et ne nos. *V.* Salvos fac servos tuos *R.* Deus meus sperantes in te *V.* Mitte nobis auxilium de sancto *R.* Et de Syon tuere nos. *V.* Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiternus deus dirige actus nostros etc. Per eundem Chr. D. n. *R.* Amen. Et surgentes facta reverentia exeunt omnes praeter praesidentem, qui tenet secum aliquos seniores de quolibet choro in scampnis ante mensas sedentes et dispensator offert in medio vinum et petita ac data benedictione solita submissa voce ministratur bis vinum per ordinem et semper offertur primo hospiti, deinde bibit praesidens et ceteri; haec omnia cum summo silentio fiunt. Exinde ducitur hospes ad locum suum per priorem, qui visis necessariis, si sint ordinata, vadit ad locum suum et non fiunt sessiones longae cum hospitibus, sed permittuntur quiescere. Idem professi mandatum cum novitiis servant.

De magistro novitiorum ac novitiis.

Pro novitiis ac aliis fratribus iunioribus non solum in anno novitiatus, sed etiam post professionem, quamdiu abbati videbitur oportunum, deputetur aliquis de fratribus pro magistro, qui bene expertus doceat eos, quaecumque ignorare non debent, videlicet observantiam regularem persolutionis divini officii, ceremonias et reliqua oportuna. Qui locis et temporibus congruis sollicite superintendit, qualiter se habeant in singulis regularibus institutis. Aliorum nullus praeter praesidentes se de talibus intromittat ipsos publice aut in privato aspere arguendo, sed si quid arguendum ipsi committerent, ipsorum magistro, abbati vel priori insinuetur. Qui magister eorum frequenter tam in cellis quam in communibus congregationibus ipsis praesens assistens de omnibus necessariis ad salutem et regularem institutionem eos admoneat, arguat et informet. Curetque diligenter, ut usum latini eloquii acquirant reverentiamque debitam magistro suo et senioribus ac sibi invicem inter se impendant, ut nullus puro nomine aut solo cognomine alium nominet aut publice tuiset. Lectiones vero pro choro nisi prius debita hora desuper per eorum magistrum examinati non legant. Sed et ipsi ceteri lectiones huiusmodi ante vesperas praevideant. De novitiorum scrutinio ante ipsorum ad probationis receptionem.

Novitiandi autem de casibus infrascriptis aut potioribus ex

eis, priusquam induantur, sunt examinandi. Item, si sit fide catholicus, si pure intuitu Dei et animae suae propter salutem ingredi petat; si propter necessitatem aut paupertatem statum monasticum elegerit; si ex pusillanimitate, puta quia in saeculo de necessariis corporis sibi deficere formidat; si corpore sit sanus; si sit crepatus(?) ruptus vel calculosus; si non sit aliquando graviter in capite vulneratus vel offensus, unde aliquando]f. 30 r.[graves patiatur capitis dolores aut vertigines; si sit vinculo maioris excommunicationis innodatus. Et si est presbyter, quaeratur, an ne incidere aliquando irregularitatem, ut forte, quia aliquando celebravit excommunicatus aut quod fuit minor annorum; si aliquando clericum graviter percusserit; et si sic, provideat, ut priusquam induatur, ab huiusmodi censuris absolvatur, si non fuerit in loco auctoritas eum absolvendi; si sit apostata seu alterius religionis professus, dicatur causa egressus eius; si aliquam religionem prius probaverit et dicatur exitus ab eodem. Item si sit condicione liber; si enim servilis est condicionis, prius licentiam debet petere a domino; si sit debitis ratiociniis aut ad aliam restitutionem obligatus; si defectum habet notabilem, si aliquem habeat occultum et incurabilem morbum; si voverit religionis ingressum; si voto suo ad certam se religionem aut locum limitaverit aut ad aliam arciosem; si sit matrimonio asstrictus; si illud opere consummaverit. Si iunior est aetate, quaeratur eius aetas ita, ut ad minus XVII. aetatis suae annum adimpleverit, priusquam induatur probandus, quamvis infra XVIII. annum, nisi necessitas aut alia gravis causa exposcat, ut quia de personae idoneitate multum praesumitur, non sit ad professionem admittendus. Si quis de praescriptis casibus convictus ex propria confessione non fuerit, poterit secure recipi, dum alias idoneus fuerit repertus. Induendus autem novitiatus habitu prius in veste priori per decem aut XIV dies probetur. Debet tamen, postquam admissa fuerit eius prima petitio, interim dormire in cella in dormitorio communi et probare stramenta atque tunica nocturnali vestiri. Debet etiam transire ad matutinum et refectorium et de communibus cerimoniis per sibi deputatum magistrum informari. Ad capitulum autem ante ipsius induitionem non admittatur. Si est sacerdos, post induitionem in publico missam non cantat, nisi de processu et ritu celebrandi nobis consuetis fuerit informatus. Quod et circa hospites religiosos nobiscum stantes observamus, sicut etiam de hoc patet infra.

De fratribus conversis.

Laicus, qui fieri vult conversus, in anno probationis suae committitur uni ex discretis presbyteris, magistro videlicet conversorum, qui informet eum de singulis ad eum pertinentibus, certis horis vel diebus visitando, prout oportunum videbitur. Cuius

etiam testimonio eum maxime opus erit, quando huiusmodi laicus fuerit ad professionem recipiendus. Nullus etiam alius praeter praesidentes et dictum magistrum suum talem novitium corripit vel reprehendit. Idem etiam omnium aliorum conversorum professorum curam gerit. Conversorum et clericorum similis est professio. Et ideo similis est obligatio, modo tamen et formis suo statui convenientibus. Excepto quod laborum manialium intuitu aut aliis rationabilibus ex causis, in vigiliis et abstinentiis facilius cum eis dispensatur. Conversi tam novitii [f. 30 v.] quam professi loco tonsurarum suarum capitum barbam deferunt prolixam et longam. Idem eis victus sicut clericis ministratur, inquantum est possibile; attamen in refectorio habent mensam singularem sibi deputatam, nisi multitudo cogeret aliquos ipsorum loci ad mensam clericorum. Item de grossiori panno vestiuntur quam sacerdotes quoad tunicas exteriores, sed quoad cucullas de eodem panno. Et curtiora sunt eorum vestimenta quam clericorum. Unde et caligati incedere debent aut ut altis calcieis; forma etiam cucullarum ipsorum differt ab habitu clericorum, quia ipsorum cuculla ab antea est aperta. Et novitius solo scapulari per totum annum probationis suae utitur in omni loco. Item non debent incedere publice in nudis pirretis, sed tegere cum cuculla quemadmodum et sacerdotes vel capita eorum debent esse plene nudata, nisi occasione laborum pro tempore aliter oporteat fieri. Item cellas conversorum abbas, prior, cellerarius aut eorum magister toties visitet, quoties iuxta regulam videbitur opportunum. Et si quis inventus fuerit retinere, quod praesidens non dederit aut permiserit aut studiose aliquid absconderit aut aliquid sine licentia dederit vel receperit, ut proprietarius puniatur. Et si fuerit res valens ultra XXIII. den., poena carceris puniatur; si minus valens, poena plectatur alia secundum exigentiam personae et facti. In praedictorum etiam manibus et discretionem sint cuncta, quae in fratrum conversorum cellis inveniuntur. Conversis officia aut aliquae artes, ad quae vel quas valentes fuerint, ab aliquo praesidentium iniungantur, ne otientur aut fabulis, vagationibus aut operibus inutilibus vacent super quo eorum magister sollicitus sit, ne fiat. Et ideo saepe circueat ad videndum, quid agatur ab eis. Conversi silentium et alias censuras regulares tenentur servare, quemadmodum et ceteri clerici professi; nec colloquia habeant cum personis saecularibus nisi cum eis et de his, quae ad sua officia aut artes pertinere videntur. Post completorium, prout fuerit possibile, cum summo silentio sicut et clerici transeant ad cellae quietem. Item non intrent ad loca, ubi eis permissum non est; nec unus alterius intret officinam sine licentia. Item conversi ad minus semel singulis scilicet quartis¹⁾.

¹⁾ Am Rande: vel sextis.

feriis intrent capitulum. Culpas vero generales dicunt in mense semel dumtaxat proxima scilicet quarta¹⁾ feria post cuiuslibet mensis primam dominicam. Quod si plures fuerint, scilicet decem vel ultra, ipsa die dominica iam dicta per eorum magistrum capitulum cum eis habeatur, qui culpas ipsorum audiat ac pro modo culparum poenitentias consuetas eis imponat. Et ubi eidem expediens visum fuerit, ad priorem vel capitulum clericorum remittat. Idem insuper magister aut alius idoneus iuxta abbatis ordinationem diebus dominicis et aliis celebribus, dum commode, apto loco et tempore de scripturis] t. 31 r. [sacris de regulae disciplina et status obligatione et similibus secundum temporum congruentiam et personarum qualitate eos diligenter informet. Quod si quando hoc ipsum per se aut alium commode facere non posset, ipsi nichilominus fratres conversi in loco deputato conveniant et unus eorum iuxta prioris aut magistri ipsorum ordinationem ceteris attendentibus de regula aut scripturis aliquid aedificatorium legat; quod etiam pro tempore iuxta praesidentium dispositionem hora collationis ante completorium facere possunt. Item conversi singulis ebdomadis semel ad minus confiteri et omni dominica prima mensis et ceteris festivitatibus sicut et clerici non presbyteri communionem sacram percipere tenentur. Item diebus dominicis et aliis diebus celebribus singulis ad omnes horas nocturnos et²⁾ similiter in vigiliis festorum praecipuorum et quolibet sabbato ad vesperas, prout possunt, sicut clerici debito tempore occurrere debent. Diebus autem non celebribus matutinis primis interesse tenentur; a laudibus tamen matutinis propter opera aut artes quibus inserviunt possunt abesse et tunc circa pulsum angelicae salutationis surgere et primae missae sub poena tenentur adesse. Similiter et alias priores missas prout possunt debent ministrare diligenter. Studeant etiam quottidie ad completorium iuxta regulam venire. Cui si legitime ex causa totaliter interesse non possunt, saltem ad Salve Regina singulis diebus, dum canitur, et ad aspersionem aquae benedictae venire teneantur. Quando autem tarde ad chorum veniunt, stant ad mattam sicut et ceteri. Item si alicui fratrum conversorum administratio, officium vel obedientia aliqua fuerit iniuncta aut commissa, absque contradictione adimplere curet modo et forma, quibus ei fuerit iniuncta, redditurus etiam de sibi commissis fidelem rationem, quotienscumque abbas vel cellerarius petierit. Nullum etiam servitorem in conventu aut alias monasterio continue servientem sine cellerarii praefati voluntate habeat licentia. In nominando etiam fratres se mutuo vocent et nullus alium tuizet.

¹⁾ Am Rande: vel sexta.

²⁾ Am Rande: diurnos.

Conversi in suis statutis orationibus singulis observent ceremonias, scilicet inclinando, discooperiendo, genuflectendo, stando et sedendo sicuti fratres in choro facere soliti sunt. Pro trina oratione dicant quinque pater noster et totidem Ave Maria et Credo semel vel, qui sciunt, dicant ipsam trinam orationem; pro nocturnis XXXVI pater noster et unum Credo; pro laudibus XV pater noster et unum Credo; pro Prima XI pater noster et unum Credo; pro capitulo quotidiano quinque pater noster, pro culpis generalibus septem pater noster. In magna sexta feria dicunt pro culpis generalibus quinquaginta pater noster, pro tertia, sexta et nona pro qualibet illarum XI pater noster, pro vesperis XV pater noster, unum credo; pro completorio XI pater noster, unum Credo. Pro trina oratione ut supra, pro benedictione mensae unum Pater noster, unum credo, pro gratias quinque pater noster. Et]f. 31 v. [ad quodlibet pater noster semper additur Ave Maria. Item post tria pater noster semper dicitur Gloria Patri. Pro officio defunctorum quotidiano trium lectionum XV pater noster; pro novem lectionum L pater noster. In die animarum Centum pater noster. Similiter pro fratre defuncto nostrae congregationis, dum citius poterunt, dicunt pro singulis agendis LX pater noster. Item semper post quinque pater dicant versum Requiem aeternam. Pro confratribus religiosis dicunt quinquaginta pater noster.

(Continuatio in fasc. seq.)

Das theologische Doktorat nach den Erfordernissen der Neuzeit.

Von P. Gregor v. Holtum, O. S. B.

Die theologischen Studien haben heutzutage eine derartige Ausdehnung erfahren und andererseits ist, wie immer so auch noch heute, Befähigung und Interesse je nach den einzelnen theologischen Fächern so verschieden verteilt, daß daraus nur Probleme für die Einrichtung der höheren theologischen Studien erwachsen können. Die erwähnte Ausdehnung verdanken die theologischen Studien bekanntermaßen teils dem regen historisch-kritischen Geist im Betrieb der Wissenschaften, teils der Blüte linguistischer Studien, teils dem Aufschwung der naturwissenschaftlichen Fächer, diesen Terminus im weitesten Sinne genommen. Schon für die Organisation des durchschnittlichen theologischen Studiums, das etwa in einem Zeitraum von vier Jahren absolvirt wird, müssen sich infolge dessen neue Gesichtspunkte darstellen, früher nicht geahnte Anforderungen ergeben. Vor allem aber wird das sicher zutreffen für das höhere theologische Studium. Je mehr die einzelnen theologischen Fächer Jus Canonicum, Kirchengeschichte,